



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lilivm Inter Spinis

Sterre, Jean Chrysostome van der

Antverpiæ, 1627

Cap. XXXVI. Eximius Iosephi erga diuina Sacramenta cultus & reuerentia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43032

ORDINIS PRAEMONST. 113
tulit vtramque candelam, & ostendēs
eas Sororibus, retulit quid egisset: &
ne de cetero contra famulum Domini
murmurarent, monuit diligenter. Ec-
ce, verè puer Domini electus, quem
elegit, ob cuius meritum comproban-
dum, vim virtutis suæ oblitus est ignis;
vt illam in tam molli materia sui fo-
menti exercere non posset, & puer Do-
mini à calumniantibus liberaretur il-
læsus. An non videtur tibi cereus iste
rubo ardenti & non combusto meri- Exod. 3.
tò comparari? nisi fortè mirabilius sit,
ignem materiale in subiectam ma-
teriam multò minùs, quàm naturali-
ter debuerat, potuisse.

CAPVT XXXVI.

*Eximius IOSEPHI erga diuina Sacra-
menta cultus & reuerentia.*

PUTO, hoc quoque auditorū ædi-
ficationi aliquid profuturum, si,
quantam habuerit reuerentiam Sacra-
H men-

mentis, quantam circa illa conficienda, tractanda & sumenda habuerit diligentiam, quanto timore & tremore omnia vasa & alia utensilia sacri ministerij tractare consueuerit, in medium proferatur. Nec enim puto aliquem hominum in his tam suspectum sibi, & tam leuis conscientiae fuisse repperit, qui se semper in aliquo crederet excessisse. Nunc aquae se nimium miscuisse cum vino, nunc aliquas vini guttulas separatim Calici adhæsisse, nunc in contactu Hostiae consecratae, vel etiam in fractione ipsius, aliquas minutissimas particulas digitis adhæsisse timebat. Aliquando easdem minutias se cum anhelitu, in sumendo Eucharistiam de patena (super quam duas Hostiae partes ponere solemus) se reiecisse pertimuit: aliquando in bibendo Calicem, aliquid distillasse; aut aliquid incautè in Calice remansisse vel Hostiae vel humoris, quod non fuisset diligenter extersum. Modò illam
plicam

ORDINIS PRAEMONST. 115
plicam Corporalis, super quam poni
solet Hostia, vel digitis, vel alia parte
Corporalis se timuit contigisse: modò
illis articulis digitorum, quibus sa-
cram Hostiam cōrectarat, ante ablu-
tionem se aliquid tetigisse: & super
omnia, se deuotione debita caruisse,
flebiliter querebatur; vt verè, Verebar Iob. 9.
omnia opera mea, cum beato Iob di-
cere potuisset. Propter nimiam ergo
reuerentiam, quam adhibuit Sacra-
mentis, omnia morosè peregit: ita
Corpus Dominicum, tamquam Ho-
minem adhuc passibilem leuauit &
posuit: brachiorum eleuatione & de-
missione, & totius corporis gestus ma-
xima reuerentia temperauit. Illorum
digitorum vngues, quibus sacra Ho-
stia contrectatur, & superioris labij
barbam ori proximam, qua aliquo ca-
su cōtingi posset Calicis Sacramētum,
forfice solebat præscindere, & propter
Sacramenti reuerentiam conseruare
apud se; iudicans indignum, illas ex-

*Piarum
mentium
est, ibi etiã
culpam ti-
mere vbi
non est cul-
pa.*

H 2 tremi-

tremitates corporis (licet in se viles) pedibus conculcari, quæ omnium Dominum (licet in Sacramento) contingendo multoties nobilitatæ fuissent. Nec hoc scribimus, vt trahi debeat in exemplum, quod tota Ecclesia non obseruat; sed vt per hoc ostendamus, quantam vir beatus in corde reuerentiam exhibuerit Sacramentis, qui extrema corporis tanta diligentia, propter honorem Eucharistiæ, honorauit. Illos sanè sæpius coram nobis, & eorum consuetudinem duriter reprehendit, qui vel simplici, vel etiam duplici post sumptam Eucharistiam sunt ablutione contenti; asserens ex reuelatione se diuina veraciter comperisse, etiam post tertiam ablutionem aliquid Sacramenti (quod idem est & totum) in Calice remansisse.

CA-